

MISCELLANEA

DE PRAEPOSITURA ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS DE KÖKENYES IN HUNGARIA

In Hungaria olim plures praeposituras Ordinis Praemonstratensis fuisse constat, quam quot exstitisse certis litterarum monumentis comprobantur. Nonnullas earum solummodo nomine novimus. Indiciis ex archivis novissime erutis in dies luculentius perspicitur, quando et a quibus illae fundatae et ubinam sitae fuerint. Hucusque documentis historicis 29 praeposituras exstitisse comprobatum est ¹⁾. In quibus fuerunt nonnullae a regibus fundatae, quibus annumerari possunt v. g. praepositurae de Turócz, de Csut et forte S. Stephani protomartyris de Promontorio Varadinensi etc., plurimae tamen se a quodam genere nobili vel a familiis nobilibus excitatas esse gloriantur. Genera locupletissima inde a saeculo XIII. aemulabantur inter se monasteriis, praesertim Praemonstratensibus, excitandis.

Hugo in suo opere, quod "Sacri et candidi Ord. Praemonstratensis Annales" inscribitur ²⁾, enumerat, quas ipse noverat, Circariae Hungaricae praeposituras. Plures profert, quam quot fuisse e diplomatibus fide dignis certissime demonstratur. Ceterum ipse nominibus depravatis utitur, saepe errore decipitur in diocesisibus signandis, intra quarum fines sitae erant, annusque originis praepositarum (longe aliter, ac in aliarum circariarum praepositis fit) non indicatur, si tres excipias, ubi nihilominus annus vitiose notatur.

Et ipsi Hugoni persuasum erat monumenta collata pauca esse, eaque insufficientia, at plura colligere non potuit. Vicarius enim generalis Hungariae, abbas Lucensis in Bohemia, litteris suppedi-

1) Almásmonostor, Bény, Bozók, Cursola, Csorna, Csut, Sancta Crux iuxta Francam villam, Garáb, Hatvan, Jánoshida, Jászó, Kaposfő, Kökenyes, Lelesz, Majk, Mórighida, Nyulsziget, Olcsa, Pók, Rajk, Rátolt, Ság, Turócz, Túrje, Váradhegyfok, Zsámbék canonicorum, Szeged, Mórighida et Vásárhely canonissarum monasteria.

2) T. I. Praefatio : Circaria Hungariae.

tandis non fuit, patres vero Societatis Jesu Vindobonenses se eas suppeditaturos esse abnuebant ³⁾).

Praepositura de Kőkényes etiam a Hugone memoratur ⁴⁾), nomine Kukenis, nihil tamen de ea tradit, nisi quod "filia Grabae" exstiterat, existimatque eam in diocesi Strigoniensi (Esztergom) aut Vaciensi (Vác) sitam fuisse.

Quum libri et manuscripta, quibus ipse utitur, in Hungaria haberi non possunt, in historia huius praepositurae investiganda solummodo in diplomatibus historicis, quae hic inveniuntur, inniti debemus.

Sine ullo dubio constat monasteria de Garáb et de Kőkényes a genere Kőkényes-Radnót fundata esse. Praepositura de Garáb intra a. 1171-1176 fundatur ab episcopo Jaurinensi (Győr), Micudino ab eodem genere Kőkényes-Radnót orto, quum adhuc Ecclesiae Albalregalensis praepositura fungeretur. Primos incolas e Regia Valle (Valroi) in Lotharinga accepit ⁵⁾).

Generis Kőkényes-Radnót duas iam lineas saeculo XIII. exstitisse non ignoremus: nempe lineam de Kőkényesmonostor, lineamque de Doboka ⁶⁾). Linea de Kőkényesmonostor labentibus annis opibus maxime florere coepit, fortunisque maximis ornata verosimiliter post annum 1241, quo praedabundae immanium Tartarorum copiae totam pervastabant Hungariam, monasterium familiare fundavit, ut ibidem — sicut tunc temporis usu receptum erat — membra familiae sepelirentur. Haec erat praepositura de Kőkényes, quae si Annalibus Hugonis fides tribuitur, filia erat Garáb ("filia Grabae"), id est colonia illuc de Garáb deducta erat, quod revera fieri potuit.

Linea de Kőkényesmonostor generis Kőkényes-Radnót iam ineunte saec. XIV. exstincta est, denato Radnót et Johanne bonaque familiae — nec monasterio Kőkényesmonostor excepto — donatione regia viro sororis eorum obvenerunt, sed ius patronatus ipsius monasterii lineae de Doboka contigit, cuius membra hoc iure iam anno 1332 utebantur ⁷⁾).

Nomen monasterii de Kőkényes in diplomatibus nostris prima vice anno 1281 memoratum invenitur ⁸⁾). Eo enim anno praepositus conventusque de Kőkényes una cum patronis praepositurae de Garáb consensum praebent, ut praedium Kecskéd praepositurae de Garáb

3) In Praefatione T. I.

4) *Annales*, II, 13-14 et in praefatione, T. I.

5) *Annales*, II. Probationes CCCCIX. Bulla Alexandri III. pont. 1179.

6) Karácsonyi János, *A magyar nemzetségek a XIV. század közepéig*, II, 336.

7) *Codex Andegavensis*, II, 635.

8) Fejérfataky emlékkönyv 76.

proprium venumeat⁹⁾. Quod tamen repugnare videtur, quominus filia praepositurae de Garáb habeatur.

Praepositura, utpote fundatio familiaris, divitiis affluxisse vix praesumitur. Illam agros et vineam in Békásmegyer (in Comitatu Pilis) possedissee certum habemus, item verosimile est, possessionem etiam in Kőkényesmonostor habuisse. Anno 1332 fr. Briccius praepositus suo ipsius, nec non conventus sui nomine approbantibus patronis tradit particulam praedii de Békásmegyer ad vineam plantandam utilem, "in territorio Wyzamal" "pro tribus marcis cerarum ad modum pergreth singulis annis . . . pro luminaribus solvendarum" cuidam hospiti, qui conventui praeter alia servitia praestita tres marcas Budenses mutuas dederat. Qui, nisi dies pretio solvendo constituta observetur (festum Purificationis B.M.V.) alterum tantum solvat oportet, qua tamen obligatione fundo etiam aliis cedere queat¹⁰⁾.

Praepositura non satis longo intervallo in maximas angustias rei nummariae adducta est. Anno enim 1368 totum praedium de Békásmegyer locatur a fratre Johanne praeposito "de consilio et consensu sui prelati et totius ordinis" "religiosis dominabus Sanctimonialibus ordinis S. Clare Virginis de Claustro Virginis Gloriose per Dominam reginam noviter in Veteri Buda . . . constructo". "titulo feudali" pro duobus florenis singulis annis solvendis cum centum denariis computandos" quum ecclesia sua post hominum memoriam ex hisce possessionibus nullos fructus recepisset¹¹⁾.

Kőkényesmonostor postremo memoratur anno 1428¹²⁾, sed — quoniam hoc diploma non ita multo ante incendio absumptum est — isto deficiente non cognoscitur, utrum ibidem monasterii, an solummodo pagi eiusdem nominis mentio illata fuerit.

Praepositura de Kőkényes sita erat in dioecesi Strigoniensi, in plaga Comitatus Nógrádiensis, quae vergit ad orientem et meridiem, illo ipso loco, ubi nunc temporis pagus Nagykőkényes est situs.

Ecclesiae et monasterii ne vestigia quidem supersunt, nulla enim mentio fit illorum in libris, quibus historia monografica comitatus¹³⁾

9) "Nos prepositus et Conventus monasterii de Garab . . . ex consensu patronorum ejusdem monasterii . . . et ex voluntate prepositi et fratrum ecclesie de Kukynus . . ." Fejérpatak y emlékkönyv 76. etc.

10) *Cod. Andegavensis*, II, 635. — Marca Budensis = 245.53779 gr.

11) Budapest, Archivum Regnicolare, DL. 5664.

12) Budapest, Archivum regnicolare, DL. 30.294. Cf. Csánki Dezső, *Magyarország történelmi földrajza a Hunyadiak korában*, I, 102.

13) Mocsáry Antal, *Nemes Nógrád vármegyének históriai, geográfiai és*

continetur, aut in foliis Commissionis Regnicolaris monumentis conservandis¹⁴). Quod facile intelligitur, nam lapidibus Ecclesiae iam anno 1596 Turcae ad arcem de Hatvan aedificandam usi sunt, affirmante quodam scriptore illius aetatis fide summa et auctoritate digno.

DOCUMENTA

1) 1281.

Capitulum Vacienne duas transcribit confirmatque litteras : unam praepositi conventusque de Garáb, alteram Emerici et Mykud de genere Kőkényes-Radnót super venditionem possessionis monasterii de Garáb Kecskéd vocatae.

Fejérpataky emlékkönyv, 76.

2) 1332.

Capitulum Budense fratrem Briccium praepositum conventumque Ecclesiae de Kőkényes quandam particulam terrae eiusdem monasterii in possessione monasterii in Békásmegyer in territorio Wyzamal circa vineam monasterii de Kőkényes existentem ad plantandum vineam pro tribus marcis cerarum pro luminaribus exsolvendarum Johanni, filio Dominici, hospiti in Békásmegyer iure perpetuo possidendam ex consensu patronorum donasse testatur.

Cod. Andegavensis, II, 635.

3) 1368 jun. 4.

Nos Capitulum ecclesie Budensis... quod religiosus vir frater Johannes Ord. Premonstratensis prepositus Ecclesie de Kukukenus... "viva voce retulit, quomodo" ipse quandam possessionariam portionem suam ac ecclesie sue predictae in possessione Bekasmeger vocata in Comitatu Pylisiensi existenti habitam, de qua tempore cuius non est memoria hominum predicta Ecclesia sua nullam utilitatem et nullum profectum percipere potuisset, prout inquantum ipsam Ecclesiam suam contingeret, cum quadam vinea fere desolata ad eandem possessionariam portionem pertinente in territorio dicte ville Bekasmeger habita de consilio et consensu sui prelati et totius

statistikai esmertetése. Pest. 1826 et Borovszky Samu, Nógrád vármegye. Budapest, 1911.

14) Magyarország műemlékei. Budapest, 1906, T. II.

15) Chobot Ferencz, *A váci egyházmegye történeti névtára*. Vác, 1915, I, 187. citat Istvánffy, *Historiarum de rebus Ungaricis libri XXXIV*, 1622.

Ordinis, ut Ecclesia predicta aliquam utilitatem in futurum prosecui possit, religiosis dominabus Sanctimonialibus ordinis S. Clare Virginis de Claustro Virginis Gloriose per dominam reginam noviter in Veteri Buda pro eisdem dominabus sanctimonialibus constructo et per consequens eidem Claustro perpetuo et irrevocabiliter titulo feudali infradicendo dedisset, contulisset et locasset, ymo dedit, contulit et locavit coram nobis eomodo quod predictae domine Sanctimonialibus singulis annis singulos duos florenos, quemlibet cum centum denariis computando in festum B. Michaelis Archangeli sine crastinatione preposito dicte Ecclesie sue de Kukuenus pro tempore constituto ratione sub pena dupli, si non facerent, solvere tenerentur, prout Ladislaus procurator legitimus earundem dominarum Sanctimonialium asseruit coram nobis. Hoc etiam dixit, quod eidem domine duos florenos pro anno primo ratione predicta sibi persolvissent et super hoc easdem reddidissent expeditas. In cuius rei etc. . . .”.

Budapest, Arch. regnicolare. Dl. 5664.

Szombathely.

A. HORVATH, O. Praem.

• • •

JASZOVIENSIA

Cum editiones dissertationum doctoralium ob discrimina rerum oeconomicarum, bellum magnum consecutarum haud perficiantur, Facultas Philosophica Scientiarum Universitatis Hungaricae Budapestanae concessit eas etiam in manuscriptis praesentari, ne tamen huiusmodi opera res novas, hucusque ignotas in lucem proferentia publico celentur, libros summariorum talium dissertationum a se decrevit edendos esse.

Duo libri iam prodierunt, primus sub titulo A Budapesti Királyi Pázmány Péter Tud. Egyetem Bölcsészeti Karán az 1924/25-ik tanévben elfogadott *Doktori Ertekezések Kivonatai* és az 1919/20-1923/24. tanévekben elfogadott doktori értekezések jegyzéke (Summaria Dissertationum Doctoralium a Facultate Philosophica Regiae Scientiarum Universitatis Budapestanae a fundatore Petro Pázmány nominatae anno scholastico 1924/25. acceptatarum et Registrum Dissertationum Doctoralium annis scholasticis 1919/20-1923/24. acceptatarum). Secundus liber est continuatio primi et refertur ad annum scholasticum 1925/26. In ambobus reperiuntur epitomia dissertationum doctoralium a canonicis Jaszoviensibus praesertatarum, quarum tres historiam ordinis nostri concernunt.

Epitomia earum in linguam Latinam translata hic sequuntur.